

Satirae, quae a prima ad nonam continentur, peculiari animi acrimoniam, ceterae ad decimam sextam remissioribus sensibus distinguuntur. Nam, cum in illis graviore bile iecur ferveat, rigidi accusatoris personam gerens, in perditos hominum eius aetatis mores, ira frendens, vehementissime invehitur, magnisque lateribus conclamat. Ex istiusmodi generis satiris tertia et sexta in primis laudantur. In hac non feminas modo vulgaribus moribus, sed matronas ipsas acrius et praeter solitum pugnacius perstringit, earum libidines, adulteria, facinora, per urbem ut turgidum atque lutulentum flumen quoddam profluentia, obscenis verbis et coloribus describit, ut iis ad dedecus augendum usus esse videatur.

*Credo Pudicitiam Saturno rege moratam
 In terris visamque diu, quam frigida parvas
 Praeberet spelunca domos ignemque laremque
 Et pecus et dominos communi clauderet umbra;
 Silvestrem montana torum quam sterneret uxor
 Frondibus et culmo vicinarumque ferarum
 Pellibus, haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius
 Turbavit nitidos extinctus passer ocellos.
 Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
 Et saepe horridior glandem ructante marito.*

Iuv. Sat. 6
 vers. 1 - 10

In satira tertia infinita Urbis pericula enumerat, quae assidue vel cives vexant, vel cervicibus impendent. In satiris vero, quae a decima ad sextam decimam reliquae sunt, cum in bonis potius moribus inculcandis, quam in pravis insectandis insistat poeta, urbaniore, ut par est, et pacatiore animo utitur. In istarum numero quarta decima pulcherrima habetur, in qua puerorum probe instituendorum artem, parentum in exemplis magis, quam in eorundem praeceptis, sive verbis e philosophorum doctrinis desumptis sitam esse commonet.

*Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
 Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,*

Quae mostrant ipsi pueris traduntque parentes.

Si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres

Bullatus parvoque eadem movet arma fritillo.

*Iuv. Sat. 14.
1-5.*

XXI. Ex satirarum partitione, quam mox institui, nolim tamen aliquis me in eorum sententiam inclinare putet, qui alterarum dicendi vim ab alterarum genere tanto differre credunt, ut uni eidem auctori satiras cunctas inscribi posse negent. Si quis enim eas diversis aetatis temporibus fuisse conscriptas cogitet, illas videlicet postquam poetae fastidio esse coeperunt declamationes, in quibus adulescens insudaverat, has vero vel cum esset aetate longe proiectus, vel etiam, ut quidam arbitrantur, postquam in exilium ad prae turam missus est, nihil causae sane est, cur propter diversitatem quandam, quae in orationis forma inest, alteras alteri poetae attribuamus. Ceterum ne in satiris quidem, quas primo aetatis tempore scripsit, ita perennis dicacitas verborum est itaque irrefrenabilis acrimonia sententiarum et indignatio, ut nonnumquam remittatur et facetiis et iocis, ludificationibus socraticisque salibus locum cedat; neque vicissim in ceteris ita mitior et lenior poeta fit, ut nullatenus insurgat neque erga improbos suis instet armis, aut a vitiis in odium et iram moveri desinat. Satirarum varietate bene perspecta, rectius fortasse equidem dixerim poetam ex ingenio vario, quo a natura conformatus erat, ex animique condicione, varietate rerum, in quas mentis aciem defigit, aliter aliterque usque concitari. Hac de causa contingit, ut, furore in satira tertia repente demisso, ruris otia atque agricolarum delicias ad lyricorum modum poetarum toto pectore suavissime canat:

Si potes avelli circensibus, optima Sorae

Aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur,

Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.

Hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus

In tenues plantas facili diffunditur haustu.

*Iuv. Sat. 3.
223-227.*

*Iuvenali uni
quindecim
satirae sunt
ascribendae*

In satira autem sexta, dum gravissima ira corripitur atque in lascivas corruptasque mulieres invehitur, quaesita sibi ex rebus diversis occasione, ad mitiores animi sensus libenter se vertit; misericordia enim servi afficitur, quem, etsi vir prohibeat, uxor crudelissima ad supplicium levem ob causam mandandum esse censem, itemque etiam tum, cum aetati suae veterum mulierum pudicitiam et verecundiam opponit, quasi recordatione solatus acrimoniam et dicendi nervos remittit.

Iuv. Sat. 6.

XXII. Quod vero, vivis silentio praetermissis, in mortuos nonnumquam pugnacius insurgere videatur, id a quibusdam eruditis nequitiae eius ignaviaeque ascriptum fuisse scio. Ab hac tamen accusatione eum defendendum esse censeo; per mortuos enim vivos ita aperte adumbravit, ut, cum imperatoris in se odium concitavisset, exilii poena multatus sit. Ceterum fortibus hominibus iisdemque sapientibus licuit, ut in tyrannos invehentes per simulationem quandam tyrannorum a se invidiam et iniurias avertere conarentur, praesertim si nullo pacto aliter ceteris profuturos esse sperarent, dummodo in temporum meliorum exspectatione manerent, et erectum in tyrannos et a servitute liberum animum servarent. Iuvenalis dicendi genus, quod verborum traslationibus longe petitis, tropis, figuris abundat, in proverbium et in exemplum venit, qua de causa magis declamatorio generi accommodatum visum est, quam poetarum rationi opportunum iudicatum. Evidem hanc criticorum notam fundamento non destitutam esse concedo, et appellations, interrogations, furores, adminicula rhetorum propria, quibus frequentissime utitur, furoris cuiusdam falsi fucatique speciem in se habere, quae satietatem quandam in iis, qui legunt, interdum faciat; verum magis quam in re ipsa, in orationis forma vitium est. Sincerus enim, etiam cum rhetoricorum in modum acriter conclamat, est, iisque irarum flammis ardet, quibus, si fieri possit, vitia revera comburet. In verbis vero adhibendis copiosus est et facilis, in eorum dispositione atque collocazione

*In vivos
potius quam
in mortuos
invehitur*

diligens, in imaginibus expromendis insignis, in sententiis proferendis gravis in primis et grandis et sincerus. Verborum ambitus versibus numerosis et plerumque bene sonantibus concluditur, eademque rerum pondera et gravia philosophorum praecepta aculeis, ut par est, candidis teguntur et male-dictis facetis occultantur. In universum si Iuvenalis satiras perpendas, sub exquisitis rhetoriciis ornatibus et luculentis verborum coloribus rem novam et egregiam ita celari invenies, ut eius dicendi rationem ex Lucilio dicas profluxisse.

M. VALERIUS MARTIALIS

XXIII. Satirarum generi, praeter Aesopias fabulas, de quibus paulo supra locuti sumus, epigrammata quoque accedunt, in quibus conficiendis tantum inter poetas Latinos ceteros Martialis praestitit, ut eorum conditor dici possit. Epigrammatis nomen ad per breve ac tenue carmen significandum sumitur, in cuius paucis versibus sententia quaedam aut arguta, aut festiva, aut salebrosa, aut faceta continetur. M. Valerius Martialis, de quo nobis sermo est, Hispanus natione, Bilbili, parvo in oppido parentibus modicis ad quadragesimum p. Chr. n. annum ortus est. Romam cum venisset, viginti alterum annos natus, sub imperatoribus Domitiano, Nerva, Traiano quattuor triginta annos in rerum omnium penuria quadam et in poesis deliciis versatus est. Paupertas eum ad versus condendos impulit, a carpensis autem qui in civitate cum auctoritate, tum dignitate pollebant, cum Lucani mors eum deterruisset, in adulationem atque assentationem animum inclinare lucrosius duxit. In Domitiano laudando multum operae posuit, hoc modu ratus se ab eo tantum favoris assecuturum esse, quantum opus esset, ut paupertate liberatus in rerum copia atque abundantia viveret. Gratia ergo sibi imperatoris conciliata, equestri ab eo dignitate et

*Mart. X.
Epigr. 103.
104; XII.,
31. 34.*

honorario tribunatu auctus cum esset, neque Maecenatem

Mart. I.

Epigr. 108.

II., 38;

IX., 18. 97;

X., 58.

alium in eo invenisset, parvo tantum ad Nomentum agro et parva domo in Quirinali colle sita donatus est. A ceteris civibus, quibus assentatus in epigrammatis est, munuscula tulit, quae adiumento ad vivendum essent non quidem ipsum divitem efficerent. Tunc temporis enim, vetere liberalitate exhausta, causidici, eitharoedi, auletae magis quam poetae, civitati placebant; apud imperatorem vero praecones, indices, delatores uni summo in honore erant. Propter ingenium suum et acre et acutum et in rebus quoque adversis aequo animo ferendis festivum, gratissimus eius aetatis scriptoribus fuit, Silio Italico in primis, Quintiliano, Plinio iuniori. Aetate

Mart. XII.

Epigr. 21.

admodum proiectus in patriam cum se restituisset, dominae cuiusdam Marcellae beneficio rei familiaris copia usus est, quam frustra perennibus querimoniis laudationibusque ex imperatorum ac patronum liberalitate Romae quaesiverat. In parvo municipio, solitudinis provincialis impatiens municipalique invidia laborans cum extremam aetatem egisset, circa centesimum tertium p. Chr. n. annum e vita cessit.

*Epigramma-
tum libri*

XXIV. Quindecim epigrammatum libri, quot eum confecisse certissimum est, ad aetatem nostram pervenerunt, quibus in libris non epigrammata tantum ex communi huius nominis usu et significatione continentur, sed carmina quoque plurima, quae ad lyricum genus potius spectant, immixta reperiuntur. Incredibili qua erat ingenii feracitate mille amplius trecenta huiusmodi parva carmina composuit, quae rebus, versibus, numerisque inter se discrepant valde. In libro primo, qui «*de Spectaculis*» inscribitur, spectacula, ludi describuntur, quae ab imperatoribus magnificentissime apparabantur. Peculiariter titulo libri duo alii manent, quorum alter, tertius decimus «*Xenia*» inscribitur, alter vero, decimus quartus «*Apophoreta*». In illo versibus longiusculis res multas describit, quae hospitibus, advenis, peregrinis dono mitti solebant. Hinc libri nomen originem dicit, nam versus

*Rerum diver-
sarum copia*

pro xeniis mitti poterant. In altero autem munuscula illa recenset, quae Saturnalibus diebus, quandocumque convivia et mensae erant peracta, compotantibus tradebantur, ut ea domum asportarent. In ceteris libris, qui «*Epigrammata*» communi titulo inscribuntur, nullo ordine ex rerum varietate praestituto, infinitam prope rerum segetem et materiam coacervavit; modo enim in illis, Domitiano, Nervae, Traiano assentatur, nunc amicos atque patronos laudat. In Domitiano adulando dignitatis modum excedit; non enim illius res gestas tantum celebrat et triumphos, non leges, quas de adulteriis, de meretricio vitandis tulit, neque tantum de templis ab illo vel reparatis, vel a fundamentis exstructis gaudet; sed quo ineptiores res sunt, eo ardentius miratur, praedicat atque celebrat. Quae vero ad imperatorem spectant, maximis non desinit laudibus cumulare; loricam illius in epigrammate quodam magnificat; in alio Iuliae statuam, neptis eiusdem, Phidiaco formatam caelo, vel Palladiae artis opus putat. In alio imperatoris domum amplitudine parem caelo sed domini dignitate minorem esse dicit, in alio piscinam piscium veneratorum refertam versibus ad neniam fluentibus decantat:

*Baiano procul a lacu, monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hae natantur undae,
Qui norunt dominum manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid, quod nomen habent et ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus?*

*Mart. VI.
Epigr. 4;
VII., 2; VI.,
13; VIII. 36;*

*Mart. IV.
Epigr. 30.*

Domitianum autem, in quo acerbe vituperando scriptores rerum fere omnes conspirant, pluris quam Iovem ipsum facit! Stomachum haec, risum una simul movent, cum de homine in libidinem, in iracundiam, in ferociam prono dicantur, qui virtutes, quas primis annis exercuit, in vita

deflexerit. Ad assentationem Martialis natura sua pronus videtur; etiam gladiatorem ignotum laudibus prosequitur :

*Hermes Martia saeculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes et gladiator et magister,
Hermes turba sui tremorque ludi,
Hermes, quem timet Helius, sed unum,
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni,
Hermes vincere nec ferire doctus,
Hermes subpositicius sibi ipse,
Hermes divitiae locatorum,
Hermes cura laborque ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,
Hermes aequoreo minax tridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi,
Hermes omnia solus et ter unus.*

*Mart. V.
Epigr. 24.*

Rebus futtilibus illudit, an eas revera laudat? Vitium aliis epigrammatis emendat, in quibus clientes, parasitos, avaros, adulescentes delicatos, senes molles, foeminas lascivas, ceteros id genus homines ridet, notat, carpit. Omnia, quae in vita hominum moribusque sunt vel insueta, vel mendosa, carminibus parvulis repraesentat, ut ad naturae verique imitationem quam proxime accedat tabulasque ex rebus ipsis expressas quasi sub oculos subiciat. Rationem, quae naturam imitatur, a se cogitatam consulto prosequitur; id ex eius verbis colligitur « *hominem pagina nostra sapit* » quo in epigrammate amicum amicissime hortatur, ut, fabulis relictis, id legat et inspiciat « *quod possit dicere vita — Meum est —* ». Interdum a carminibus, quae opprime vitam, qualis revera est, hominum effingunt, ad suos animi sensus et studia canenda devertit. Huc carmina spectant dolore perfusa, quae in sepulcris amicorum, vel in suo, post mortem, inscribenda composuit, tum

Martialis paginae hominem sapient

*Mart. I.
Epigr. 38.
et 101; v. 34;
X., 61; XI. 91;
VII. 96; VI,
68 et 85.*

illa, in quibus suos amores, vel libidines atque voluptates corporis obscenissimas memorat. In his en castum epigramma.

Basia da nobis, Diadumene, pressa. 'Quot ?, inquis.

Oceani fluctus me numerare iubes

Et maris Aegaei sparsas per litora conchas

Et quae Cecropio monte vagantur apes,

Quaeque sonant pleno vocesque manusque theatro,

Cum populus subiti Caesaris ora videt.

Nolo quot arguto dedit exorata Catullo

Lesbia: pauca cupit qui numerare potest.

*Mart. VI.
Epigr. 34.*

XXV. At scurrilia plurima sunt; etenim cum sibi persuasum haberet aequalibus versus minime placere posse, nisi *prurirent*, adeo eius aetatis ingenio hominum indulsit, ut turpia et obscena, in quae corruit, non tantum salibus asperserit, sed ea consulto nimis aperte depinxerit. A quo obscenitatis crimine ipse se excusare contendit, quippe qui, cum *pagina lascivam* esse profiteatur, saepe *probam* contra suam esse vitam dictitet; neque in lasciviis describendis se lascivum putat; *Romanam simplicitatem* et *Latine loqui* arbitratur. Ex prava vivendi ratione cum *nequitiae procaciores salesque nudi* necessario proveniant, aliquam ei veniam certe dabimus, non eam tamen, quae omnimo eum a culpa purgare valeat. Ceterum, obscenitatibus praetermissis, is poeta Martialis est, cui aetatis litterarum Latinarum argenteae palma optimo iure deferri possit. In carminibus eius enim inest quidam sine fuco veritatis color, quo accidit, ut, non modo poesis genus suum propriumque sit, sed dicendi quoque forma perfecta atque singularis. Locutio pariter expurgata et vere Latina est atque veterem orationis sanitatem atque consuetudinem redolet; quae quidem laus in poeta peregrino maior est, quippe qui, cum primam aetatem extra Urbem egisset, in Hispaniaque natus esset, cuius ex germana natura pingue quiddam atque barbarum scriptores sonent, poetis

*Martialis pagina lasciva,
vita proba*

*Veritatis
color et genus
dicendi
Latinum*

*Mart. I.
Epigr. 35;
XI. 20.*

ceteris iam inquinate loquentibus, Romanorum recte sermonem in suis carminibus condendis adhibuerit. En iudicium, quod de se ipse tulit morum suorum et ingenii satis compos:

*Lector et auditor nostros probat, Aule, libellos,
Sed quidam exactos esse poeta negat.*

*Mart. IX.
Epigr. 81.*
*Non nimium curo: nam cenae fercula nostrae
Malim convivis quam placuisse cocis.*

M. ANNAEUS LUCANUS

XXVI. Tristissimis Neronis temporibus nova alia, ut
Martialis epigrammatis verbis utar, *Heliconis gloria nostri*
affulsit; videlicet quasi lumen quoddam effusis in umbris
M. Annaeus Lucanus illuxit, cuius fato acerbissimo e vita
demigrati mira fuit et singularis in Latinis litteris ingenii
fecunditas. Cordubae Lucanus, de quo nobis sermo est, anno
undequadragesimo p. Chr. n., M. Annaeo Mela patre, Acilia
matre, in lucem prodiit. Nobilis igitur parente utroque fuit.
Avus enim maternus, Acilius Lucanus, ex quo Lucanum
nomen sibi ascivisse constat, haud ignobilis orator fuit. Ex
familia autem Annaea insignes doctrina viri complures nati
sunt, inter quos Seneca philosophus, qui huius nostri patruus
fuit. Infans vix octo menses natus Romam a patre delatus est,
ut educaretur. Adulescens summa cura ab optimis magistris,
qui tunc litteras Romae pueros docebant, a Palaemone et
a Verginio primum, a Cornuto deinde, una cum Persio, cum
ingenuis condiscipulis aliis, ita institutus eruditusque est, ut
festinata naturae maturitate cum nondum quintum decimum
aetatis annum attigisset, praecclare et Graece et Latine decla-
maverit. Hoc eodem tempore, arctissimo, ut inter condisci-
pulos fieri solet, amicitiae consuetudinisque vinculo se cum
Persio coniunxit. Seneca autem, qui illum propter sanguinis

necessitudinem atque praestantem ingenii famam plurimum diligebat, eum Neroni discipulo suo insinuavit. Deinde, annos sedecim natus, Athenas se properanter contulit, ut ingenii maturitatem, ad quam citissime pervenerat, novis Graecorum doctrinis puro ex fonte haustis, cumularet.

De his omnibus conf.
Suet. Vit.
Luc.

XXVII. Post duos annos inde a Nerone revocatus est, apud quem tanta gratia atque favore valuit, ut priusquam annum quintum vicesimum explevisset, praeter morem et consuetudinem, quaestor renunciatus sit, subinde, secundo populi favore, in sacerdotium ascitus inauguratusque. Uxorem Pollam Argentariam duxit, egregiam sane mulierem et ipsam litteris bonisque artibus ita eruditam, ut tres priores libros «*Pharsaliae*» una cum viro suo perpolivisse et emendasse dicatur. Ut autem gratum suum in Nerонem animum quam primum significaret, in quinquennali certamine eius laudes versibus concelebravit. Huius tamen gratia post aliquot annos in invidiam cessit; nam cum iterum certamen pentatericum ageretur, fama est Lucanum, quia ex tempore «*Orpheus*» recitavisset, a iudicibus corona donatum esse; quam rem cum imperator iniquo animo ferret — nam certamen ea mente indixerat, ut «*Niobem*» quam scripserat, per Chinum pronunciat — invidiam victori habere coepit. Nerone iubente, foro, theatro, poetica, Lucano interdictum est, quo contigit ut, iniuriae ulciscendae causa, coniurationi Pisonianae adhaereret; quae cum per indices et delatores detecta esset, crudelissime in conscos saevitum. Lucanus minime constantem tunc se animo praestitit; nam vivendi desiderio adactus, quo tenebatur, cum necdum sextum vicesimum annum egisset, eo ignominiae animum flexit ut, Tacito aliisque auctoribus, non crimen tantum fassus sit, sed, impunitate sibi promissa, inter conscos Aciliam matrem innoxiam indicaverit impietatem sibi apud parricidam principem profuturam sperans. At eum nihil impium facinus iuvit, nam post delationem eius caedes a Nerone iussa est. Tum demum, nefandi criminis angore

Tac. XV.
Ann. 49. 56.
70; Luc. III.
Phars.
638-646.

Sid. II.
Ep. 10.

Tac. XV.
Ann. 56;
Suet. Vit.
Luc.

cruciatus, desperatione ipsa cum se in fortitudinem redintegravisset, medico ad arterias secandas brachia praebuit. Quod cum hic egisset, profluente sanguine, versus quosdam poematis sui recitans, in quibus vulneratum militem per mortis ipsius imaginem periisse narrabat, paulatim pedibus manibusque ab extremis frigescientibus, spiritum efflavit.

XXVIII. Qua Lucanus singulari mentis ubertate fuit, multa sermone soluto, multo plura versibus immaturam ante mortem in lucem ediderat. Ex illis «*Orationes*» nonnullae et «*Epistulae*» a rerum scriptoribus referuntur. Ex carminibus autem, quae ad lyricum genus spectabant «*Epigrammata*» et «*Saturnalia*» memorantur et libri carminum decem, quos propter res inter se diversas «*Silvas*» inscripserat. Poesis genera, quae restant, tragicum, comicum, didascalicum, epicum vel attigit, vel pertractavit. Non minus enim quattuordecim «*Fabulas salticas*» atque tragicam, quae «*Medea*» inscribebatur, docuit. Praeterea «*Orpheum*» sive «*Catachthonion libros*» confecit, in quibus deorum inferorum et manium condicionem docebat. In epicis carminibus condendis enixius elaboravit. Huic vero generi poemata duo, alterum «*Laudes Neronis*» alterum «*Iliacon libri*» inscripta, assignantur, quorum utrumque, cum ceteris operibus, quae iam memoravimus, intercidit. Ad genus idem denique pertinet poema — hoc unum ex tot tantisque carminibus deperditis ad nostram memoriam manet — quod ab aliis «*Bellum civile*» ab aliis «*Pharsalia*» inscribi solet. Hoc praecipuum eius opus.

XXIX. Poematis huius materiem, ut ipsa inscriptione patet, ex bellis civilibus deprompsit, quae, cum primo inter Marium Sullamque tum inter Caesarem et Pompeium postea de adipiscenda reipublicae dominatione exarsissent, post proelium ad Pharsalum composita sunt, ex quo Caesar superior discessit. Bella haec, propter recentem eorum memoriam minus apta erant, quae carminibus concelebrarentur epicis. Vetustate enim illa carebant, quae obsoletis quasi

*Varia poesis
genera, quae
coluit.*

*Poema Phar-
salia in-
scriptum,
quod exstat*

temporum coloribus res antiquitus gestas offundit, neque ea sermo et vulgi recordatio fabulisque ornatibusque poetice decoraverat, quae novitate ipsa rerum atque magnitudine mentes hominum percellunt. Attamen cum iam apud Romanos invaluissest usus, ut poetae ad carmina epica condenda ex rebus suis in historiis enarratis argumenta desumerent, idque complures a Naevio ad Rabirium fecissent et Virgilii eidem aetatis suae studio in sexto et octavo Aeneidos libris indulsisset, satis opportune gravia tempora sua Lucanum concelebrasse dices, quibus praeclarissimi duces et fortissimi exercitus manus inter se conseruerunt, non ut urbis cuiusdam moenibus potirentur, sed ut, liberis institutionibus eversis, reges pulcherrimae Urbis fierent, quae in orbe terrarum dominaretur. Iu rebus itaque ipsis cum clarissimorum virorum contentio inesset, in qua epicorum vis et ratio poematum consistit, heroes ex vero eos expressit, quos non nisi in ipso aetatis flore atque vitae iucunditate gentes ex stirpe sua et origine eruunt atque effingunt. Inter ceteros Pompeius, qui primas rerum gerendarum partes agit, tantum elato animo atque virtute praestat, ut herois in se speciem habeat. Huic proxime Cato Uticensis accedit, cuius personam poeta laudibus omnibus explet, ac si per eum speciem et exemplar viri liberae reipublicae amantissimi exhibere contendat. Caesar vero haud par cum adversariis est, immo non modo aemulis ipsis sed semetipso longe inferior, qualem ex historiis reapse fuisse novimus. Personarum autem dignitas et gravitas novo lumine illustratur cum duces heroasque, sententiarum granditate in sermonibus alternis addita, colloquentes inter se et disceptantes inducit. Magnitudinem enim rerum; quas canit, non epicorum poetarum, sed more tragicorum sentit atque exornat. Hac de causa ardentem et concitatum sententiisque redundantem se exhibit, ut magis in declamatoribus esse enumerandus quibusdam videatur. Videlicet divino igne et afflatu furoris ardenter inflammatur, quare in animi

*Cic. pro
Arch. 10. 26.*

concitatione verbis reddenda, dicendi genere quodam pingui et adipato utitur, quod Cicero aetate sua in poetis Cordubae natis notaverat. Lucani ipsius vocem audiamus, qui Pompeium post pugnam Pharsalicam Larisam profugientem et desperantem secum loquentem versibus describit :

*Nonne iuvat pulsum bellis cessisse nec istud
Perspectasse nefas spumantes caede catervas?
Respice turbatos incursu sanguinis amnes
Et socii miserere tui. Quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quidquid in ignotis solus regionibus exul,
Quidquid sub Phario positus patiere tyranno,
Crede deis, longo fatorum crede favori:
Vincere peius erat. Prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos, lacrimas luctusque remitte.
Tam mala Pompei, quam prospera mundus adoret.
Aspice securus voltu non supplice reges,
Aspice possessas urbes donataque regna,
Aegyptum Libyamque — et terras elige morti.
Vidit prima tuae testis Larisa ruinae
Nobile nec victum fatis caput; omnibus illa
Civibus effudit totas per moenia vires
Obvia ceu laeto: promittunt munera flentes,
Pandunt templa, domos, socios se cladibus optant.*

Libr. VII.

696-714.

Lucano vitio etiam ascribi solet, quod poemate in contendo mediis in rebus non ceperit initium, sed a Iove, ut dicitur, orsus, Livium, Pollionem, Caesarem in historiarum libris pedententim secutus sit et narrationem inde ex ordine ad epilogum perduxerit. Hanc ob causam cum Petronius *Pharsaliam* legisset, eum commonuit, ut eam carminum condendorum rationem institueret, qua *potius furentis animi vaticinatio* appareret quam *religiosae orationis sub testibus fides*. Item Quintilianus, qui certe videbat in litteris,

ēum non poema, sed historiam confecisse affirmavit. Ceterum Lucanus ipse vitium, quod in re sua inesse animadverterāt, quo potuit modo, emendare contendit. Itaque, deverticulis adhibitis, quae exornandi causa poetae ementuntur, pugnarum, urbium, locorum descriptionibus, verborum et sententiārum luminibus, aliis adminiculis rem suam variavit et distinxit, ut, si non omnibus numeris oxpletum et perfectum egregium sane et singulare proderet poema. Quae cum ita sint, rationibus cunctis perpensis et putatis, sic de Lucano, si placet, statuo, ut non secundum aut tertium post Virgilium locum teneat, sed longo tamen intervallo ei proximus accedat. Ceterum neque perfectum poema est, at ad decimum librum abruptum; nam Lucanus morte, quam sibi propter Neronis invidiam intulit, impeditus profecto est, quominus carmina ad rei conclusionem produceret et ultimam manum iis quoque adderet, quae scripserat. Nihilominus Pharsalia multis semper laudibus cumulata est, itaque assidue saeculis praesertim mediis perfecta, ut et ipsa aetatem tulerit atque auctoris nomen posteritati mandaverit. Quod quidem poeta animo divinante praesagiens de se in poemate affirmat:

. *Pharsalia nostra*
Vivet, et a nullo tenebris damnabitur aevo.

Lucano critici nonnulli « *Culpurnii Pisonis elogium* » ascripserunt, quod plus quam ducentis quinquaginta versibus heroicis continetur; equidem perperam eos id arbitratos esse censeo. Instituta enim elogii cum Pharsalia comparatione, tantum discriminis cum re tum orationis genere inter ea interesse deprehenditur, ut illud a Lucano abiudicandum omnino esse videatur. Ceterum cum poeta Hispanus, cui laudationem Pisonis addicendam esse credunt, amplissimo genere natus esset atque apud Neronom multa gratia polleret, nihil causae fuit cur privato assentaretur, cuius ope nullo pacto indigeret essetque multis de causis illo praestantior.

Quint. X.
Inst. I.

SILIUS ITALICUS

XXX. Cum Lucano poeta epicus alius floruit, Silius Italicus, quem ex nomine alii ab Italica, Hispaniae civitate, alii vero ab Italica, quae in Pelignorum finibus erat, oriundum fuisse tradunt. Non desunt praeterea qui, non magnopere nomine confidendum esse rati, Romae eum — quibus autem documentis nescio — natum dicant. Cum igitur res satis incerta sit, cuique quidlibet de Silii patria tenere liceat, ne nos quicquam sine causa pro certo docuisse videamur. Vicesimo quinto p. Chr. n. anno, dum Tiberius in Urbe atque imperio saevissime imperitat, ditissimis parentibus ortus est, qui magistris eum, ut primum adolevit, eloquentia erudiendum commiserunt. Divitiis, quae ceteris detimento esse solebant, cum viam ad magistratus capessendos sibi communivisset, consul eo anno creatus est, quo Nero obiit. Fama ferebat eum imperatoris gratiam prave per delationes quaesivisse; at consulatum ita egregie gessit, ut *maculam veteris industriae* abluisse Plinius testetur. A publicis muneribus sub Traino abiit et cum se in villas, quas in Campania habebat, privatus recepisset, in otio carminibus operam impense posuit. Huic studio intentus beatam reliquam aetatem ad diem extremam egit. Villas atque domus, non bibliothecis modo, sed statuis, tabulis pictis, quas in deliciis habebat, exornavit. Ciceronem prae ceteris et Virgilium inter deos quasi coluit; huius autem natalem diem, victimis certe risque sacris, *religiosius quam summ celebrare* solitus erat. Senex septuaginta annos natus, taedio vitae affectus, quod insanabili morbo torqueretur, cibum omnem cum respusisset, inedia ieunioque extenuatus periit.

*Plin. III.
Epist. 7.*

Plin. ibid.

XXXI. In Campaniae secessu decem septem poematis libros composuit, quod «*Punica*» inscribitur. Ex rebus a Romanis gestis etiam ipse carminis argumentum decerpserit,

bellum videlicet Punicum secundum sibi canendum assumpsit, quo magnitudine rerum, clarissimorum ducum virtute, gentium et nationum praestantia, quae de terrarum imperio acerrime decertaverunt, nullum clarissimo poeta dignius inveniri poterat. At Silius mediocri sane angustaque qua fuit res poetice ementiendi facultate, vel etiam scite exornandi illas, quas rerum scriptores soluta oratione narraverant iam, ex maximo bello ineptum poema confecit. Etenim, cum Silius animi ardore atque divino mentis afflatu careat, quo pectora poetarum calefacta exagitantur, minus idoneus est, qui illa mirabilia de re sua cogitet atque sentiat, in quibus posita sunt carminum epicorum decus et granditas. Quam eandem ob causam, cum narrationes, quae in Polybio et Livio perbelle et egregie concinnatae repperiuntur, in suum refert poema propter humile et tenue dicendi genus, quo utitur, non sententiarum modo dignitatem et granditatem una cum animi ardore dissipat et perfringit, quae in Patavino scriptore praestantissima et elatissima sunt, sed rerum etiam ratione illa praetermissa, quam Polybius ad vera statuenda tamquam obrussam graviter adhibet, deteriorem ipsam per fabulas et adminicula ingenua facit historiam, quae veris rebus quam maxime illustratur. Pro magnitudine ergo belli Punici secundi, ex quo miros et incredibiles progressus, quos novimus, res Romana fecit, Silii Italici epicum poema, quod «*Punica*» inscribitur, pedestre penitus est itaque veris huiuscemodi generis carminum luminibus nudum et destitutum, ut vix ab oratione soluta versuum numeris distinguatur. Industria ipsa atque studium, quibus ignes animi et elationem, quae absunt, pensare poeta diligentissime curat, vitia alia nonnulla poemati addunt. Hinc fit ut, si ex Homeri Virgiliique imitatione deos deasque cum hominibus res humanas agentes commiscat, minus commode opportuneque faciat, tempora videlicet si perpendas, in quibus nulla amplius deorum fides et religio manebat. Propter eandem deorum hominumque in

rebus iisdem agendis coniunctionem, quam quidem praeclare in Aeneide Virgilius composuerat, multum de deorum virtute et dignitate detraxit, neque tamen deorum numen et potentiam amplificavit. In veteribus referendis fabulis Virgilium auctorem secutus, Iunonem in poemate inducit, quippe quae Carthaginiensium studiosa, Hannibalem, eorum ducem, acer-
Lib. XII.
vers. 701-728
conf. cum
Aen. II.
589-623.

Lib. XVII.
523 et seqq.
conf. cum
Aen. X.
611-689.

Lib. III. 570.
et seqq.

Lib. III. 557
et seqq. XI.
387 et seqq.

Lib. III. 129
et seqq. VII.
345 et seqq.
II. 325 et
seqq.; XIII.
vers.
400-895.

rebus iisdem agendis coniunctionem, quam quidem praeclare in Aeneide Virgilius composuerat, multum de deorum virtute et dignitate detraxit, neque tamen deorum numen et potentiam amplificavit. In veteribus referendis fabulis Virgilium auctorem secutus, Iunonem in poemate inducit, quippe quae Carthaginiensium studiosa, Hannibalem, eorum ducem, acer-
Lib. XVII.
523 et seqq.
conf. cum
Aen. X.
611-689.

Lib. III. 570.
et seqq.

Lib. III. 557
et seqq. XI.
387 et seqq.

Lib. III. 129
et seqq. VII.
345 et seqq.
II. 325 et
seqq.; XIII.
vers.
400-895.

Scipionis speciem decipit ea causa, ut factum hostem hic per devia in arvis sequens in patriae excidio vitam ignarus servet. Romanis contra et Iuppiter et Venus magno studio prosperi adsunt. Ille Romanis in ancipiti sententia de rerum eventu versantibus bene fausteque omnia futura portendit, haec Tonantis animum per illecebras in Romanorum partem inclinantem convertit callidaque mente Poenis exercitibus funestissima Capuae otia suadet. Loci alii plures in Punicis inveniuntur, quos Silius ex Aeneide per imitationem exprimit. In his loci illi numerantur, in quibus aut ex consuetudine poetarum epicorum exercitus utriusque gentis recenset, aut insignia Hannibal's arma describit, aut difficilem descensum quoque ad inferos narrat, aut denique iusta mortuorum funebria et ludos, tempestates, auguria, portenta, cetera huiusmodi monstra memorat vel narratione continua prosequitur. Haec profecto diligentiam luculenter ostendunt, qua Virgilium assidue perlegit et ut deum coluit. Nihilominus, si narrationis aequabilitatem atque structuram poematis inspexeris, ne eum historiam quidem satis egregie scripsisse dixeris. Silius cum Livio XXI et XXII libros de eodem bello perscrivente compone; hunc non modo Marte propitio et astante, sed Musis quasi faventibus, mirabiliter et poetice concinuentem, illum, Apolline nullo, inepte et submisso narrantem reperies.

Lib. XVII

Silii Italici poema de bello Punico secundo, quod multa saecula in tenebris delituerat, exeso in codice repertum est cum Latinae litterae revirescere cooperunt. Aetate Petrarchae, qui de eadem re poema celebratissimum edidit, nondum in lucem venerat. Rei granditate tantum ductus Petrarcha Silii vel aemulator vel vitor insciens exstitit.

XXXII. Poematium, quod modo « *Homerus de bello Troiano* » modo « *Ilias Latina* » vel « *Parva Ilias* » modo etiam, qua de causa nescio, obscurius « *Pindarus Thebanus* » inscribitur, huic quoque Silio a quibusdam eruditis hominibus ut genuinum addictum invenio. Quid vero de eius auctore dicendum sit equidem nescio, et lis adhuc sub iudice pendet. Preclarissima, quae in *Iliade* narrantur, mille septuaginta versibus hac in epitome enucleantur; quae etsi sicca sit et pedestris nullo artificio illustrata, aetate media, quae dicitur, in scholis legebatur et multis cumulabatur laudibus; nimirum eius lectione maiores nostri, rudiores quidem et inconditi, litteris Graecis omnino iacentibus, mirificas Homeri fabulas novisse poterant, quas nos Graeco sermone legimus. Nunc vero *Parva Ilias*, si comparationem cum *Homerica* instituas, litterarium pensum ineptum vel discipuli in exercitationem vel ludi magistri in scholarum usum iudicabis.

C. VALERIUS FLACCUS SETINUS

XXXIII. A celebrandis Romanorum rebus, quas novissime gesserant, epicum poema revocandum et vetustissimis fabulis restituendum esse duxit poeta aliis, Lucani Siliique aequalis, *C. Valerius Flaccus*, qui *Setinus* cognomine appellatus est. De hoc poeta pauca admodum neque certa memoriae prodita sunt. Patavinum quidam eum fuisse ex *Martialis* versibus arbitrantur, in quibus spes atque alumnus Antenorei laris vocatur. Antenor, ut poeticae fabulae ferunt, urbem illam

in Italia condidisse dicitur, quae nunc Patavium nuncupatur; alii contra a cognomine, quod poeta adeptus est, a Setia, parvo Campaniae vico, eum originem duxisse credunt; alii denique Romae nobili familia natum putant. Haud minus incertum est, quo anno in lucem venerit, quamquam certo novimus eius adolescentiam in Neronis tempora incidisse. Id ex loco poematis colligimus, cum opus, quod conscripturus est, in prooemio Vespasiano addicit, quem, uno anno interposito, post Neronem imperavisse scimus. Poemate in contextendo, quod «*Argonautica*» inscribitur, cum multis vigiliis totam aetatem posuisse, immatura morte praeventus, Domitiano imperatore, octavo et nonagesimo p. Chr. n. anno obiit, neque opus ad exitum absolvit.

Argonautica

XXXIV. Poematis libri octo, quot reapse composuerat, ad memoriam nostram extant, quorum postremus inchoatus tantum est, ut poeta illum reliquisse videtur. Attamen ex partium convenientia atque conspiratione earum, quae in poematis structura continentur, eam rerum partitionem sibi eumque ordinem poetam proposuisse suspicamur, ut cuncta narratio decem vel duodecim potius posset contineri libris, videlicet quot Aeneidis sunt. Apollonium Rhodium, qui poema «*Argonautica*» inscriptum in quattuor libros rededit, ducem et auctorem ita secutus est, ut fabulas, quas ille summis, ut dicitur, labiis delibaverat, evolveret atque novis rebus ornamentisque quasi conflaret et dilataret.

Poematis argumentum

XXXV. Notissima de Argonautarum expeditione fabula est, quam iuverit quam brevissime referre. Aeson, Thessalorum rex, cum sibi finem vitae adesse intellegat, filium Iasonem puerulum adhuc, quem ex Alcimedea uxore acceperat, Peliae fratri in tutelam commendat, eidemque tradit regnum, ea lege, ut Iasoni, cum primum adoleverit, ex promissis reddat. At Alcimedea mater, nullam fidem Peliae habendam rata, filium Chironi magistro alendum committit. Iason vero sub Chironis disciplina aetate, cursu, venationibus corroboratus,

paternum regnum repetiturus domum revertit; audiverat enim fraudem patruum machinari, ut regno potiretur. Hic Iasoni suadet, ut in Colchos ad auferendum aureum vellus iter faciat. Res haud facile factu esse videtur, tum quia ingenti regiones pelago dividuntur, tum quia pervigil draco flamas expirans vellus aureum custodit. Navi ab Argo aedificata, cum principibus Acheorum per mare tum primum temptatum in Colchos ire Iason contendit. Inter navigandum ad Lemnum insulam appellit, ubi ab Hypsipyle hospitio atque thalamo excipitur. Inde profectus, ad Phyneum, regem Paphlagoniae, cursum devertit eumque ab Harpyis, quae locum infestant, incredibili incolarum laetitia liberat. Ad Colchos deinde, mari iterum repetito, cum tandem devenerit, a Medea, huius regionis regis filia—eius amore haec incauta facile capitur—quo modo aeripedes tauros perdomare possit et draconem pervigilem sopire audit. Hac ratione, vellere aureo sublati, clam cum Medea, sociis comitantibus, fugam arripit sospes tandemque in patriam revertitur.

XXXVI. Fabulam, quae per se ea est, ut audacia atque temeritate rerum gestarum, levitate locorum, ancipitibus variisque casibus, qui occurunt, hominum mentes percellat et in admirationem commoveat, poeta noster multa industria et labore, multis sententiarum quasi luminibus distinxit verborumque ornamentiis illustravit. Poema hoc, propter dicendi ornamenta, si verborum immanitates quasdam et locutiones nonnullas subobscurores excipias, Virgilii elegantiam, quam sibi Flaccus ut exemplar imitandum proposuit, copiam et suavitatem Argonauticon apprime reddere et quasi redolere videtur. Eiusdem quoque Virgilii vestigia, ad rationem rei per diverticula exornandae quod attinet, secutum esse ex multorum locorum affinitate quadam luculenter patet; quae similitudo in locorum et itinerum descriptionibus, in morum notationibus deprehenditur, in sententiis et verbis, quae ipse a Virgilii poemate mutuatur. Attamen etsi varium et illustre

*Artificium et
genus
orationis*

poema sit, cum nimia eruditione gravetur, durum alicubi et ingratum fit, nisi qua parte Iasonis sensus animi privatos et muliebres Medeae affectus describit, ut hoc loco :

*'O decus in nostras magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro
Vellera, teque meae satis est quaesisse carinae.
Verum age et hoc etiam, quando potes, adice tantis
Muneribus meritisque tuis : namque aurea iussi
Terga referre sumus; socios ea gloria tangit.'
Sic ait et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est :
'Linquo domos patrias te propter opesque meorum;
Nec tam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
Vota sequor : serva hanc profugae, prior ipse dedisti
Quam — scis nempe — fidem.'di nostris vocibus adsunt,
Sidera et haec te meque vident : tecum aequora, tecum
Experiar quascumque vias, modo nequis abactum
Huc referat me forte dies oculisque parentis
Ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.'*

Lib. VIII.

vers. 37-53.

Quod si Flacci Argonautica cum mirifico Apollonii Rodii poemate componis, de nullo poeta Latino verius, quam de quo loquimur, illam dici posse Ciceronis sententiam videbis, quam de rebus aliis locutus his verbis protulit : « sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent ». Adde

Cic. I. Tusc.

I. 1.

Quintiliani sententiam, qui aequalis poetae mortem deflens « multum » ait « nuper in Valerio Flacco amisimus ». Neque quidem iniuria; nam a multis viris, qui nunc sunt, litterarum et antiquitatis peritissimis, poetarum aetatis argenteae propter amorem atque pietatem Iasonis et Medeae, quibus alter in alterum incenditur, Flacco facile palmam tribuunt.

Quint. X.

Inst. I. 90.

P. PAPINIUS STATIUS

XXXVII. In poetarum numero, qui hac eadem aetate in carminibus epicis operam condendis posuerunt, tempore et laude inferior, afflatu intimo melior, P. Papinius Statius subit in mentem mihi. Hic, Silio vix adulescente, anno p. Chr. n. quadragesimo quinto ortus est; cuius patriam Neapolim fuisse inter omnes fere convenit. At non defuerunt qui, alterius Statii rhetoris patria decepti, Tulosanum eum existimarent, inter quos Danthes in primis poetarum nostrorum, qui vernaculo sermone in suis scripturis usi sunt, facile princeps et lumen. Pater eius P. Papinius Statius fuit, et ipse haud ignobilis poeta et ad carmina praesertim extemporaliter fundenda ingenio paratissimus, qui cum et Graeca et Latina lingua et poetarum omnium notitia maxime valeret, Neapolim primum, tum Romae, pueros publice poeticam et rhetoricam docuit. Hanc ob causam tantum apud Domitianum fama et honore percrebuit, ut multo auro atque corona donatus sit. Ex patris eruditissimi schola profectus Statius noster, quo erat ingenio praestanti navoque, incredibili quadam quasi naturae facilitate, quam citissime versus extemporaliter factitare didicit, quos cum in theatris, vel in certaminibus pronunciaret, magnum in se admirantium clamorem et plausum concitare solebat. Omnibus gratus — Domitiano Caesari carissimus, cui Statius ferociter in orbe dominantis satius necessario est assentatus — in copia rerum atque abundantia Romae diu vixit. Eius felicitatem Claudia, quam ex amplissima familia uxorem duxerat, modestia singulari, verecundia, mariti observantia cumulavit. Quae mulier non virtutibus tantum insignis, sed ingenuis moribus etiam et litteris, in quibus mirum est quantum valuerit, summa laude a rerum scriptoribus celebratur. Cum itaque bene beataque Romae

*Stat. III.
Silv. 5. 28.31
V. 3. 225.227.*

viveret, peracto certamine quodam, ex quo ipse inferior discessit, tantum animo dolorem coepit, ut hanc ob causam Romam reliquerit et in urbem patriam reverterit ratus se solacium inventurum in otio. Ibi cum reliquam aetatem in Claudio amore et studiis beatam egisset, nonagesimo sexto p. Chr. n. anno vita decessit. Ad haec tempora usque Statii opera supersunt tria. Ex his duo ad genus epicum spectant, quorum primum «*Thebais*» inscribitur, secundum «*Achilleis*» tertium «*Silvae*» ad genus lyricum pertinet.

Thebais

XXXVIII. In Thebaide bellum illud canit, quod Argivi ad Thebas Boeotias gesserunt, in quo Etheocles et Polynices fratres mutuis vulneribus ceciderunt. Rem ab ingenti Antimachi poemate deprompsit, qui ita longum et verbosum poema scripsit ut, antequam septem duces sub Thebarum moeniis deproeliantes faceret, per viginti quattuor libros rem produxerit. Statuum enucleatius narrasse censeo, qui duodecim tantum libris atque integrum continuerit, attamen etiam ipse longior est et dicendi genere turgidior. Ceterum argumentum, quod in facinoribus et immanibus et execrabilibus totum positum est, fabulis tragicis aptius quam carmini heroico convenientius videtur. Hanc ob causam ex rebus haud satis idoneis epicum poema ineptum prodiit, quod sententiis quibusdam, morum notationibus, deverticulis hic atque illic illustratur. Achilleis, imperfecta cum sit, uno et dimidio tantum libro continetur. In hoc poemate res, quae ante bellum Troianum ab Achille gestae memorabantur, ita concelebrat, ut longe plus in hoc litteratis quibusdam, quam in Thebaide praestare videatur. Praecipuum Statii opus equidem carmina censeo triginta duo, quae propter res diversas Silvas inscripsit. Cursim quidem haec exarata, ut fama fert, et ex tempore nonnulla recitata videntur; nam cum ex repentina et germana quasi animi concitatione proveniant, qua ex inopinato afficitur poeta, domesticorum eius morum imaginem effingunt. Inter haec silvarum carmina

Achilleis

Silvae

plurimi illa facienda sunt, in quibus vel parentis funus acerbissime deflet, vel mortem filii luget, quem sibi adoptaverat, vel amicos aegritudine atque angore laborantes solatur, vel iisdem omina fausta dicit. Claudiam suavissime ex Urbe ad se Neapolim fidissimam uxorem hoc carmene invitat :

*Libr. V. 3. et
5; III. 3; II.
2; I. 2; III. 2.*

*Quid mihi moesta die, sociis quid noctibus, uxor,
Anxia, pervigili ducis suspiria cura ?
Non metuo ne laesa fides, aut pectore in isto
Alter amor : nullis in te datur ire sagittis,
Audiat infesto licet haec Rhaminusia vultu,
Non datur; et si egomet, patrio de litore raptus,
Quattuor emeritis per bella, per aequora, lustris,
Errarem, tu mille procos intacta fugares ;
Non intersectas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamisque orbata negasses.*

III. Silv. 5.

Nonnullis vero in silvarum carminibus ineptiae quaedam, pro consuetudine, quae apud poetas invalescere cooperat, et stultissimae nugae celebrantur. Huc equi et leonis laudationes spectant, quos Domitianus in deliciis habuit, tum psittaci et platani mirificum elogium, quod ad amicum quendam misit, tum denique carmina, in quibus signa, balnea, huiuscemodi describit ineptias. Silvae, diutius cum in bibliothecis sub pulvere multa ignoratae saecula delituissent, in lucem post tempora Danthis erutae prodierunt. Hac de causa Florentinus poeta, dum, Virgilio suo duce, beatas caelicolum sedes purus petiturus sacrum montem excelsum scandit, ubi hominum defunctorum animae malefactorum in vita poenas persolvunt, istorum carminum ignarus, quae ne ab auctoribus quidem noverat, Statium poemata epica tantum memorantem facit :

*Libr. I. 1; II.
5; II 3. 4; IV.
6; I. 5; II. 4.*

*Tanto fu dolce mio vocale spirto,
Che, Tolosano, a se mi trasse Roma,
Dove mertai le tempie ornar di mirto.*

Stazio la gente ancor di la mi noma :

Cantai di Tebe, e poi del grande Achille ;

Ma caddi in via con la seconda soma.

Dant. XXI.

Purg. 88-93.

Equidem, si Silvas novisset, censeo, istarum potius laude quam fama epicorum carminum aeternis caelorum orbibus eum donaturum fuisse. Silvae enim, si in dolore solaciando versantur, amorem in alios et charitatem redolent, quae in Statuum Christi fere asseclam occultum deprehendunt.

POETAES MINORES AETATIS ARGENTAE

XXXIX. Cum epicis poetis maioribus, de quibus nunc sermonem habuimus, imperatores *Nero* et *Domitianus* mala et ridenda poetarum fama praeter quam scelerum gravi infamia nefandissimorum floruerunt. Primus enim Homericam gloriam aemulandi cupidissimus, poema de Troiano bello componere ausus est « *Troiae halosin* » inscriptum, quod vel in Neapolitano theatro ore suo, vel potius ex Maecenatiana turri incendium Urbis prospectans tragicо habitu recitasse videtur. Inepte recitavit et stulte, siquidem Petronius, facetissimus nebulo, qui pluries ei, mea quidem sententia, per iocum assentatus erat, turpiter eundem occulteque in Satyricon loco carpit et ridet. *Domitianus* vero, si Quintiliani nobis iudicio standum sit, poeta maximus fuit. « *Hos nominavimus* » ait — Valerium Flaccum atque Lucanum cum aliis nominat — « *quia Germanicum Augustum* » — qui Domitianus, ut constat, est — « *ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parremque diis visum est esse eum maximum poetarum* ». Iudicium sane blandum et mirificum, ut fides adhiberi possit, etiam adulacionis nota detracta ! Expeditionem, quam ipse in Galliam et Germaniam inchoaverat, in poemate celebrasse videtur, quod publice pronunciat. In aliquo numero etiam *Saleius Bassus* et *Rabirius* et *Pedo Albinovanus* fuerunt ;

Genus
epicum

Tac. XV.
Ann. 39.

Quint. X.
Inst. 1. 91.

Suet. Dom. 2.